



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Punctum Difficult. 3. De reliquis Fundamentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Actum & imperatum à voluntate DEI, non habere eandem certitudinem & infallibilitatem, quam habet veracitas DEI: nam si actus hic posset esse fallibilis, & ipsa veritas prima, à qua immediate dirigitur, fallibilis esset. Consequentiam probat. Testificatio DEI, proponitur intellectui credentis, ut constituens unum cum prima veritate, & ut actus secundus, cum primo. Ergo non est ratio, cur potius sit conditio & non ratio formalis assentiendi.

RESPONDETUR. Testificationem externam activè sumptam, habere increatam summam certitudinem; non tamen testificationem externam passivè & secundum connotata spectatam. Testificatio etiam DEI, nonnisi secundum intrinseca spectata, & activè, est actus secundus, imperatus ex modo nostro concipiendi à prima veritate: non enim actus ille, secundum id quod dicit intrinsecè, est quid Creatum. Deinde cum illa revelatio passiva, sit quid Creatum, non potest ei identificari certitudo increata seu summa: consequenter non erit ipsa secundum se, motivum summè infallibile; sed connotatum motivi summè infallibilis. Actus item ille imperatus, constituit Unum cum imperante, sumptus secundum id, quod dicit in recto, quoad intrinseca & activè: nam sumptus præcisè secundum quod connotat aliquid Creatum, constituit Unum Unitate signi & signati, connotativi & connotati. Quando autem querit Amicus, quid desit revelationi externæ, quo minus sit formale objectum, responsum est in probationibus Conclusionis.

INSTAT idem. Nequit intellectus credentis, assentiri veritati revelatæ, nisi prius saltem ratione, assentiatur revelationi Divinæ, ut à DEO testificatæ, quo posito sic urget. Vel intellectus credentis, credit hanc revelationem esse à Deo fide humana, vel divina. Si fide Divinâ habetur intentum, si humana, Contra est. Tum quia revelatio ipsa, ob infallibilem certitudinem quam habet, ut propria locutio Dei, est apta movere intellectum credentis, ad assensum infallibilem fidei Divinæ. Tum quia ab assensu in revelationem pendet assensus in objectum revelatum, qui cum sit fidei Divinæ, non potest pendere ab assensu fidei humanæ.

RESPONDETUR. Nequit intellectus revelatæ veritati assentiri, nisi prius assentiatur revelationi, modo proportionato; hoc est, nisi fide divinâ assentiatur, tanquam motivo credendi ipsi revelationi activæ, passivè autem sumptæ assentiendo, tanquam Conditioni. Casu autem quo ipsa revelatio passiva transeat in speciem objecti fidei, non assentiatur illi ipsi ob illam ipsam tanquam motivum formale, quia illa ipsa non est summè infallibilis, cum non sit summa infallibilitas, quæ est Deus, sed assentiatur illi, propter revelationem activam.

Obicit quartò idem. Revelatio unit primam veritatem cum objecto revelato, ut locutio externa internam nobis unit, quam nobis manifestat. Si autem unit veritatem primam cum objecto revelato, hoc ipso non erit conditio sed ratio formalis assentiendi. Quod ipsum probat: quia pura Condicio, nullam vim motivam in ordine ad effectum causandum confert causæ, sed solum tollit aliquod obstaculum, quod causam impediēbat, ne suam virtutem circa effectum exercere possit. Revelatio autem, specialem vim motivam primæ veritati confert, ad movendum proximè intellectum credentis, quia revelatio, non solum applicat primam veritatem intellectui credentis, sed etiam illi communicat suam infallibilem certitudinem, quam ut locutio externa Dei, ab ipso directæ & imperata, habet.

RESPONDETUR. Si paritas teneat de locutione externa, illa pro nobis est: sonus enim vocis, non est motivum formale credendi, sed Auctoritas formantis illum sonum. Negatur etiam Minor, nempe quod revelatio passiva communicet infallibilitatem veritati primæ, habet enim illam veritas prima de se, nec perficitur à Creatis. Objecto etiam credendo revelatio passiva non adfert summam infallibilitatem, hæc enim soli Deo comperit. Hinc revelatio passiva, aufert nonnisi obstaculum: quia scilicet ad internam Dei dictionem, quæ est motivum formale, pertingere non possumus, nec se illa nobis in hac vita immediate unit, nisi illâ mediante.

### Punctum Difficultatis 3.

#### De reliquis Fundamentis.

Obicit Quintò Quidam. Divina revelatio debet esse saltem motivum partiale fidei; quia Divina revelatio, est talis, ut ante illam, nihil prius possit in actu secundo movere ad assensum fidei, & habet talem cum credendis connexionem, ut si quid de illis dixerit, necesse sit illa credenda, non aliter se habere. Quod totum fundatur in hoc principio: quia omne medium ac motivum noscendi aliquid, idè est medium vel motivum, saltem partiale, quia sine eo nihil prius movet, & cum noscendo necessariò connectitur. Quod autem ante revelationem nihil sit, quod prius moveat. Probatur: quia hoc esset veritas prima; hæc autem ante revelationem non movet; nam & ipsis Prophetis, æquè impossibile fuit moveri ad credendum; sicut impossibile est moveri Auctoritate Petri, sine ipsius dictione. Quod verò etiam revelatio, necessariam habeat connexionem cum credendo, probatur: quia etiam illi, nullà vi, potest subesse falsum.

RESPONDETUR. Immeritò assumi præcisè tanquam notam partialis motivi, nihil scilicet esse, quod prius moveat. Nam Major prius movet

(f)

ad

ad assensum, quàm Minor, neque tamen hoc obest minori, ne partialiter moveat ad assensum. Et quamvis postea intellectus ex connexionem præmissarum inferat Conclusionem, tamen in illa connexionem, semper una præmissa habet rationem prioris. Potius ergo partialitas motivi desumi debet ex notione partis, & ex notione ipsius motivi, prout condistincti à Conditione, de quo actum supra. In forma distinguitur Antecedens. Divina revelatio secundum id, quod dicit in recto, est talis ut ante illam nihil prius possit in actu secundo movere assensum, idque per modum motivi formalis. Concedo Antecedens. Divina revelatio secundum id, quod dicit in obliquo, & importat aliquid Creatum est talis. Nego Antecedens. Licet illa ipsa revelatio passiva, habeat rationem primi in ratione signi; nullum est enim signum dictionis Divinæ internæ prius, ipsâ dictione externâ. Quando autem idem dicit, sensum esse fidelium, qui dicunt se credere, quia Deus revelavit, id bene accipi potest de revelatione interna tanquam motivo, de externa tanquam signo. Quod ipsum signum, habet quidem connexionem infallibilem cum credendis, sed non summam, quia connexio illa quæ est cum credendis Increatæ veritatis, major est, quàm connexio alicujus Creati.

*Instat per varias Paritates.*

PRIMA PARITAS est. Præmissa utraque habet rationem motivi formalis, nec est altera ex illis, quæ sit tantum Condicio. Ergo tam veritas prima, quàm revelatio, habebunt se per modum motivi, nec revelatio solum erit Condicio.

RESPONDETUR. Si sit res, de revelatione activè sumpta, Concedo totum. Si de passivè sumpta disparitas est: quia hoc ipso, si utraque præmissa non esset ratio motiva, definitio Syllogismi salvari non posset, quia non esset ex his positus: sed non nisi ex hoc posito, tota autem essentia fidei fidei salvaretur, imò & melius, (ut dictum supra,) posito quòd revelatio non nisi activè sumpta, sit formale fidei: adhuc enim actus ille inniteretur veritati primæ in dicendo. Rursus Syllogismus innititur illi principio: quæ sunt eadem unitertio: hinc in ratione commensurandi extrema cum tertio tota ratio illius consistit. Unde habere rationem motivi in Syllogismo, est habere commensurationem cum medio. Cum autem utraque præmissa dicat hanc commensurationem: utraque habet rationem motivi. Nulla autem talis ratio ostendi potest, quæ quia convenit & veritati primæ dicenti activè sumptæ, & simul revelationi passivæ, ex eo ipso quia illis convenit, exigat fundare in utraque illa, rationem motivi formalis.

SECUNDA PARITAS est. Unio non se habet tanquam Condicio unibilium. Ergo neque

revelatio, quæ est quasi Unio quædam veritatis primæ cum objecto revelato.

RESPONDETUR. In principiis Nostri Unionis non se habet tanquam condicio Unibilium: quia identificateur realiter Unibilibus in circumstantia modalitatis, Unibilia autem in ipsis non sunt Condicio. In principiis communibus modalium disparitas est: quia Unio in ordinem non nisi conditionis redacta, nullum aliud formale, ut quo, potest ostendi, quod constituat Unibilia in ratione Unibilium; redacta autem revelatione passiva in ordinem non nisi connotati, potest adhuc ostendi ratio formalis assentiendi, scilicet veritas prima in dicendo activè & quoad sua intrinseca spectata. Denique hoc, quod est Unio impropria, potest habere rationem Conditionis, & non rationis formalis, ut videre est in approximatione: quia autem revelatio passiva, habet rationem Unionis non rigorosæ, poterit stare in ordine prædic conditionis. Et secundum hanc rationem, solvi debet alia paritas, quæ arguit quod sicut actio non est condicio agentis, sic nec debet esse revelatio passiva.

TERTIA PARITAS est. Lumen intellectus non est sola condicio intelligendi. Ergo nec revelatio.

RESPONDETUR. Si per lumen intellectus intelligantur præmissæ, hæ non possunt habere rationem conditionis. Si autem per lumen intellectus intelligatur ipsa potentia intellectiva, hæ non potest habere rationem conditionis: qui non potest ostendi aliud, quod se habeat per modum principii, potest autem ostendi, quod se habeat per modum motivi, ad assensum fidei, quantumvis hujus motivi sit merum connotatum, revelatio passiva.

Obijci Sexto Ripalda. Eo differt condicio objectiva ab objecto formali assensus, quod assensus innititur in veritate objecti formalis, & non conditionis. Item quòd objectum formale, debeat esse suadibile intellectui, ut præstetur assensus. At assensus fidei innititur veritati revelationis: quia non sufficit ad illam revelationem solum apprensam. Item revelatio suaderi debet, ut intellectus præbeat assensum objecto revelato. Ergo revelatio non est mera condicio, sed objectum formale.

RESPONSUM. Assensum fidei innititur veritati revelationis activè sumptæ; illaque activè sumpta suaderi debet ut intellectus credat, licet petat illa veritas cointelligi secum revelationem passivam.

INSTAT PRIMò. Quidquid pertinet ad connexionem Auctoritatis Divinæ cum re attestata, est objectum motivum fidei: fides enim movetur illa connexionem. At Divina attestatio, pertinet ad hanc connexionem: quia Auctoritas Divina secundum se, non est connexa cum objecto, sed mediâ attestazione. Ergo attestatio pertinet ad formale.

RESPON-

RESPONDETUR. Majorem esse falsam, quia nec quod pertinet ad ignitionem, est ratio formalis igniendi: nam approximatio pertinet ad ignitionem, non pertinendo ad rationem formalem igniendi. Minor etiam vera est de pertinentibus in recto, non de pertinentibus in obliquo: quia pertinentia in obliquo, non nisi connotantur.

INSTAT Secundò. Licet cognosceretur objectum obscure in Attributis Auctoritatis Divinae absque attestatione DEI, ut cognoscitur clarè à Beatis, ea cognitio non pertineret ad fidem. Ergò fides sumit suam speciem, ab attestatione Dei.

RESPONDETUR. Si quis obscure cognosceret aliquid in veritate prima in dicendo ad se directum, etiam sine externo signo, Nego quòd is actus non esset actus fidei, verè enim adhuc haberet formale fidei.

INSTAT Tertiò. Actus fidei est obscurus, ab objecto formali cognito obscure, at sola revelatio Dei & non Auctoritas, est cognita obscure. Ergò illa est objectum formale. Et sicut Visio Beata, non solum est conditio sed objectum formale spei Theologicae, ita & in praesenti, erit objectum formale revelatio.

RESPONDETUR. Negando quòd veritas prima in dicendo activè spectata, non sit obscure cognita. Visio item Beata, non est conditio spei, sed solum objectum materiale, movet enim spem, non bonitas Divina ut possessa per visionem, sed bonitas Divina prout bona nobis visio autem beata, est bonum inter alia quod speratur. Consequentia etiam non tenet ex dictis contra alias paritates.

Objicit Septimò Rosmer. Revelatio habet triplicem respectum. Primò ad DEUM attestantem, Secundò ad rem testificatam. Tertiò ad intellectum credentis, licet prout habet respectum hunc tertium, possit esse pura conditio; tamen secundum duos priores respectus, potest esse motivum formale.

RESPONSUM. Etiam respectu primo & secundo, non posse revelationem passivam habere rationem motivam formalem. Et sicut connotatum ex se in se non est ratio formalis libertatis Divinae; ita nec revelatio passiva, comparata ad DEUM testificantem habebit rationem motivam formalem.

INSTAT. Revelatio Divina creditur vel saltem credi potest fide Divina, sed non creditur ut objectum materiale. Ergò ut formale.

RESPONDETUR. Hoc argumentum supponit hanc Majorem: quòd creditur, creditur vel tanquam materiale vel tanquam formale, quare Major falsa est, quia potest credi aliquid tanquam Connotatum formale. Negatur item

quòd revelatio passiva, non possit esse id, quod creditur ad eòque objectum materiale; licet revelatio activa credatur tanquam objectum formale, dum assentior mysterio revelato.

ADDO contra eundem. Rigorose loquendo non credere nos propter connexionem revelationis Divinae quàm talem, sed propter id quod connectitur, hoc autem quod connectitur tanquam ratio motiva, est revelatio activa, quod connectitur tanquam connotatum, est revelatio passiva.

INSTAT Primò. Haunoldus lib. 3. num. 93. Fides reducit ad verbum Dei & verbum Dei est causa & virtus causativa fidei, nec aliter reducit ad Auctoritatem, quàm ad ipsam loquelam.

RESPONDETUR. Fidem reduci in verbum Dei tanquam causam fidei verbum Dei accipiendo pro revelatione activa, in quam aequè ac in Auctoritatem Dei, reducit fides. Sed Nego quòd agat de veritate passiva, quare quia est quid creatum, non potest DEI Auctoritati equiparari.

INSTAT Secundò. Illud tenet se ex parte motivi respectu fidei, per quod in ordine ad nos, ad impetrandum assensum fidei quàm talem, connectitur prima veritas, cum objecto. Atqui hoc facit revelatio. Ergò.

RESPONDETUR. Minorem & Conclusionem esse veram de Revelatione activa, quare habet rationem connexionis cum objecto; cum Revelatio passiva, habeat tantum conditionem applicandi illam connexionem: unde & objectis quare scit DEUS, non possumus assentiri nisi aliquid superveniat, per quod nobis innotescat hoc DEUM scire, sed id quod innotescantiam facit est Revelatio activa, applicata per passivam.

INSTAT Tertiò. Syllogismus qui saltem virtualis est in actu fidei ingreditur Revelatio. Ergò est motivum.

RESPONDETUR. Id verum esse de revelatione activa, nam passiva tantum applicat Activam.

ADDO. Imaginabile quidem esse, quomodo ad actum supernaturalem sufficiat unum principium supernaturale eò quòd tribuat vires naturali, illudque eleve; sed quomodo præmissa involvens aliquid increatum, tribuat vires præmissæ involventi aliquid creatum, non constat; imò nec tribuere debet, ne Conclusio sequatur debiliorem partem; hinc & assensus, qui fieret propter aliquid Divinum, non esset Theologicus, si upà misceatur aliquid creatum, tanquam motivum.